



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Historiae Ecclesiasticae Pars ...

Historiae Ecclesiasticae Pars Secvnda, Qva Continentvr Socratis Scolastici
Constantinopolitani lib. 7. Theodoriti Cyrensis episcopi lib. 5

Christopherson, John

[Köln], 1569

De paratis contra sanctum Athanasium insidijs. Cap. XXVI.

urn:nbn:de:hbz:466:1-12704

sunt. Quam quidem tragœdiam, quantum fieri potest, breuissimè hoc loco explicabo.

De paratis contra sanctum Athanasium insidijs.

CAP. XXVI.

CUM episcopus ille egregius Alexander, qui tam strenue contra Arij blasphemiam decertauerat, quinque menses post concilium Nicææ celebratum finem vendi fecisset, ecclesiæ Alexandrinæ episcopatum capessit Athanasius: vir à puero diuinis & sacris literis institutus, & singulis ordinum ecclesiasticorum muneribus cum summa omnium admiratione perfunctus. Iste in magno illo ac celebri concilio Nicæno egregiè ac virili animo pro doctrina apostolica luctatus, quemadmodum à veritatis defensoribus magnam laudem adeptus est, sic apud eius oppugnatores, velut aduersarius in graue odium & plane capitale incurrit. Qui cum adolescens esset, consuetudine illius excellentis Alexandri assiduè vsus est, choroq; diaconorum præfuit. Vbi verò Ariani, qui vnigenitum Dei filium oppugnare secum decreuerant, experientia docti intellexère propensum atq; alacre eius in tuenda veritate studiū, & iam ad ecclesiæ Alexandrinæ gubernacula suscipienda designatum cognouère, eius administratione suam potentiam labefactatum iri existimarunt. Qua de causa tale quoddam facinus moliri cœperunt. Cum Meletius ille, quem concilium Nicænum abdicauerat, tumultus ac turbas tum in Thebaide, tum in AËgypto, quæ ei finitima est ciere non desisteret, Ariani militibus quibusdam mercede conductis (sic enim fore putabant, vt crimen simulatum confictumque suspicione careret) persuadent, vt pro pere contenderent ad imperatorem, Athanasium per calumniam insimularent, quòd tributa AËgypto imposuerat, & aurum inde collectum homini tyrannidem exercere molienti suppeditarat. Qui cum imperatorem hoc modo essent ludificati, effecerunt vt Athanasius Constantinopolim duceretur. Ille vt primum eo venit, tum falsam accusatorū criminationem refutauit, tum ad ecclesiæ administrationē, quæ ei diuinitus delata erat, restitutus est.